



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis  
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

**Gretser, Jacob**

**Ingolstadii, 1611**

Reverendissimo Et Illvstrissimo Principi Ac Domino, Domino Ioanni  
Godefrido, Episcopo Bambergensi, &c

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41527**



REVERENDIS-  
SIMO ET ILLUSTRIS-  
SIMO PRINCIPI AC DOMI-  
NO, DOMINO IOANNI GODE-  
FRIDO, Episcopo Bambergensi, &c.

PRAETEREA

ADMODVM REVE-  
RENDIS, NOBILIBVS, ET MA-  
GNIFICIS DOMINIS, DOMINO IOAN-  
NI CHRISTOPHORO NEVSTETTER, cogno-  
mento STÜRMER, Cathedralis Ecclesiae Bam-  
bergensis PRÆPOSITO; & Domino HECTORI  
à KOZAVV DECANO, &c.

IACOBVS GRETSERVS.

**V***T illustrandis Ecclesie Bamber-*  
*gensis tutelaribus Sanctis & Pa-*  
*tronis, HENRICO, KYNEGVNDI,*  
*& OTHONI, aliquid operæ & la-*  
*boris impenderem, multa me impulerunt: FL-*  
*LYSTRISIME PRINCEPS, Admodum Re-*  
*) ( 2 ueren-*



## EPISTOLA

uerendi, Nobiles & Magnifici Domini,  
 PRAEPOSITE & DECANE. *Ac Principio*  
*quidem illud Ecclesiastici monitum:* Laude-

Eccles. 44.

mus viros gloriosos, & parentes nostros in  
 generatione sua: homines diuites in virtu-  
 te, pulchritudinis studium habentes, pa-  
 cificantes in domibus suis. *Et HENRICO*

Eccles. 46.

*quidem arbitror iure tribui Iosuanum illud*  
*Elogium.* Fortis in bello Iesus Naue; qui  
 fuit magnus secundum nomen suum, ma-  
 ximus in salutem electorum Dei, expugna-  
 re insurgentes hostes, vt consequeretur hæ-  
 reditatem Israël. Quam gloriam adeptus  
 est in tollendo manus suas, & iactando cō-  
 tra ciuitates romphæas? *Quocirca, vt Regis*  
*Josia; sic & memoria Imperatoris HENRICI*  
 in compositione odoris facta est velut opus  
 pigmentarij. In omni ore quasi mel indul-  
 cabitur eius memoria, & vt musica in con-  
 uiuij vini.

Eccles. 49.

Judith 15.

*Sanctissima autem Sponsæ KVNEGVNDI*  
*non iniuriâ accinetur illud odarium.* Tu glo-  
 ria Hierusalem, tu lætitia Israël, tu honori-  
 ficentia populi nostri, quia fecisti viriliter,  
 &



DEDICATORIA.

& confortatum est cor tuum, eò quòd caritatem amaueris, & post virum tuũ, alterum nescieris: ideo & manus Domini confortauit te, & ideo eris benedicta in æternum.

Porro in S. Othonem Episcopum per quã Ecclesiast. c. 50.  
aptè & scitè quadrare videntur illa Encomia. Simon Oniæ filius, sacerdos magnus, qui in vita sua suffulsi domũ, & in diebus suis corroborauit Templum. In diebus ipsius emanauerunt putei aquarum, & quasi mare adimpleti sunt supra modum. Quasi stella matutina in medio nebulæ & quasi luna plena in diebus suis lucet: Et quasi sol refulgens, sic ille effulsi in Templo Dei.

Deinde S. HENRICVS & S. KYNEGVDIS Bauaria Duces fuere. Otho quoque originem & incunabula sua Boiis debet, (vt & ipse HENRICVS) quippe comes Andexius; licet non desint, qui eum Sueuis asserere tentent; sed frustra. Etsi autem ego Boius non sim ortu, tot tamen annos in Bauaria vixi, & tot beneficia ab eadem accepi, vt nisi illam pro altera patria colerem ac venerarer, illius q̄ in me

) ( 3 pro-



promeritis vicem qualemcunque, ubi se dat occasio, reponere tentarem, ingrata mentis vitium vix declinaturus essem. Quod cum aliis modis fugere studui, tum etiam producendis in lucem Boiorum ornamentis, inter quæ præcipua duco homines vitæ Sanctimonia, morumque innocentia celebres ac commemorabiles; & in his maximè S. HENRICVM, S. KYNEGVDNDEM, & S. OTHONEM; quorum in Ecclesiam Dei & Christianam Rempublicam benefacta, nulla unquam tacebit atas; nullaque licet longinqua, vetustas obliterabit.

Sparsere quidem Boij orthodoxæ Religionis semina in varios, eosque effertos, & à vera religione alienissimos populos; per HENRICVM Boiorum, & Saxonum Potentissimum Dominatorem in Rugianos, quos Helmoldus in Sclavorum Chronico Ranos & Rimos nominat. Per THEODELINDAM Reginam in Longobardos. Per THASSILONEM II. in Vandalos. Per THASSILONEM III. in Carinthios. Per LVDVICVM Regem in Hunnos, Abares, Bohemos, Bulgaros, Walachos. Sed, pace aliorum dicere liceat, nemo Boiorum,

HEN.

Helmold. lib. 1.  
cap. 37.  
Vide Anent in  
Germ. Boiorum  
Chron. Excusit  
Francof. 1566.  
p. 288. 330. 312.  
322. 353. 383.  
384.



DEDICATORIA.

HENRICO & OTHONE Regnum Christi latius protulit. Ille quidem quàm Martem in Sclauis; quàm nuptiali fœdere inter Pannonas, data sorore sua GISELA Regi Hungarorum in matrimonium; cuius integritate non modò Rex ipse, verùm etiam vniuersus propemodum populus suauis iugo Redemptoris nostri colla, ad eum vsq; diem ferme indomita, alacriter substravit. Quid autem OTHO in Pomerania præstiterit, quàm vberes & copiosos manipulos in horreum Catholicæ Ecclesiæ inuexerit, satis superq; docet Historia vite, quam in hoc volumine publicanus. Neque Rugianos sua & celestis cultura exsortes abire sinisset, nisi copiosa ista messis aliis paulò post exorituris messoribus diuino consilio destinata & reseruata fuisset: Quapropter iure suo Bavaria duobus APOSTOLIS gaudet; altero, Hungarorum; altero, Pomeranorum; quem honoris titulum S. OTHO in ipsa etiam Pomerania eousq; tenuit, quoad superuenère alterius sortis, & ordinis Apostoli, vel potius Emissarij, qui quod sanctissimus vir in Pomerania exstruxerat, destruxerunt; & quasi omnes ante illos desipuissent,



sent, nouum Euangeliũ Othoniano ex diuinis  
 & Catholicis fontibus hausto prorsus aduer-  
 sum tradere institerunt.

Non inuitus autem fateor, istud mihi  
 quoq; non modicum fuisse inuitamentum imò  
 & incitamentum ad horum calitum res præ-  
 clarè gestas colligendas & publico donandas;  
 ut in eorum vita, velut in pellucido quodam  
 speculo, intueantur heterodoxi, qui semitas  
 patrum suorum deseruerunt; quàm procul à  
 recta via auj eant: & quàm nulla spes ad ca-  
 lestem beatitudinem pertingendi supersit; nisi  
 pedem tempestiuè referant.

Quàm nihil in HENRICI, KVNEGVNDIS  
 & OTHONIS vita Lutheranum? Quàm ni-  
 hil Calvinianum? Nisi quis existimet Luthe-  
 ranum aut Calvinianum esse, cōdere Ecclesias,  
 adificare monasteria; prouentibus annuis libe-  
 ralissimè instruere; Sacerdotes, Deoq; dicatos  
 homines reuereri & venerari. Quo in genere  
 ita excelluerunt tres nostri Diui, ut forsā pau-  
 cos superiores, paucosq; pares habeant; Certè  
 HENRICI Imp. munificentia percussus A-  
 uentinus, homo statui Ecclesiastico nunquam  
 aquis-



DEDICATORIA.

*aquissimus, sæpè autem apertè infestus & in-* Auent. lib. 5.  
Annal. Doctorū  
fol. 507. Lat.  
edit.  
*fensus, in hæc verba; quanquam falsa, proru-*  
*pit. Primus Imperatorum Sacerdotes &*  
*Monachos ditauit. Nempe iam tum cale-*  
*bat, si non feruebat, Auentinus eo spiritu; qui*  
*Episcopatus nec reparat, nec condit, nec locu-*  
*pletat, ut factum ab HENRICO; sed expilat, di-*  
*ripit, deglubit, vel funditus exterminat: qui*  
*Templa & Cœnobia nec erigit, nec reficit, nec*  
*annuo vectigali fulcit, sed vel diruit, vel in*  
*profanos usus conuertit, & quidquid gazæ in*  
*illis reperit, id totum rapacibus unguis in cru-*  
*menam suam conuehit ac conuertit. Ver-*  
*res Sectarios istos dicas, vel saltem Verri-*  
*nos.*

*Ad extremum, Ecclesia Bambergensis*  
*conditoribus & amplificatoribus HENRICO,*  
*KVNEGVNDI & OTHONI hanc qualemcun-*  
*que opellam libenter nauauit propter recentissi-*  
*ma, eaq; insignia beneficia, quæ Societas nostra*  
*ab hac Ecclesia accepit, Ordinis nostri homi-*  
*nibus non ita pridem Bambergam euocatis,*  
*ut hæc velut noua subsidiaria cohors vetera-*  
*nis præsidiariis in statione illa adiungatur. Et*

) ( ) ( quo-



## EPISTOLA

quoniam quotidie augentur hostes, augeantur & ij, qui partim pietate, partim eruditione hostibus obuiam eant: quorum utrunque proficitur, & pro modulo suo Societas nostra prestare nititur.

Etsi autem omnes, quicumque sub vexillo Christi in hac religiosa familia militamus, palam & aperte pro nobis feramus, & ubique etiam predicemus, nos toti quidem Venerabili, nobilissimo & amplissimo Cathedralis Ecclesie Bambergensis Capitulo seu Senatui aeternum obligatos esse; cuius nutu & assensu Societati Bambergae domicilium constitutum; Iuuentuti vero studiosae literarius ludus apertus est; nihilominus illud minime abnuimus, hoc vinculo omnium arctissime nos obstringi, tribus huius Capituli summatibus, & quasi Antesignanis; Vestrae, inquam, Celsitudini, Reuerendissime & Illustrissime Praesul ac Princeps JOANNES GODEFRIDE; Vestrisque Magnificentiss, Admodum Reuerendi, Nobiles, & Magnifici Domini PRAEPOSITE & DECANE, qui facti tam laudabilis primarij duces, & auspices fuistis, remq;



DEDICATORIA.

remq; inprimis arduam non modò feliciter, sed  
 & velociter transactam dedistis, atque expedivistis; non sine Divorum HENRICI, KVN-  
 NEGUNDIS & OTHONIS ope è cælo missa,  
 ut planè mihi persuadeo: Nam si his no-  
 stris temporibus tot Ecclesiarum, Monaste-  
 riorum, & diuino obsequio consecratorum,  
 domiciliorum conditores ac fundatores hanc  
 vitam nobiscum duxissent; quis sanæ mentis  
 ambigat, eos Societati IESV Collegium sua in  
 Metropoli adificaturos fuisse; vel bonarum  
 literarum gratia, quarum tam HENRICVS,  
 quàm OTHO inprimis peritus erat, & hic  
 quidem adeo, ut docendi munus ipsemet ali-  
 quandiu in Polonia obierit; & illud inter Po-  
 meranos præstiterit, quod huius Ordinis ho-  
 mines quotidie præstant in utrisque Indis,  
 Japonia, Æthiopia, aliisq; à nostro orbe re-  
 motis regionibus.

Quod igitur iam à consortio mortalium  
 segregati facere nequibant, hoc in caelestes sedes  
 translati, per idonea ad tantum opus instru-  
 menta, nempe per Celsitudinem vestram, Il-  
 lustrissime Princeps, & per Magnificentias

) ( ) ( 2 vestras



EPIST. DEDICAT.

vestras, Admodum Reuerendi, nobiles &  
Magnifici Domini PRAEPOSITI & DE-  
CANE, efficere ac perficere voluerunt.

Deus cœptis aspiret; & Cellitudinem  
ac Magnificentias VV. non tantum Collegio  
Bambergensi, sed & toti Societati, imò toti Ec-  
clesiæ Catholicæ, quàm diutissime incolumes  
esse iubeat; quas, spero, hoc exiguum gratitudi-  
nis, & summae obseruantiaë indicium eousq; be-  
neuolenter & humaniter excepturas, donec  
prodeat, qui grandius quiddam offerat.

Ingolstadij XVI. Nouembris

Anno Redemptoris

M. D. C. XI.

